

Historia quidem uidetur de Iudaeis conuenire, qui in Aegyptum transierunt et de Aegypto exierunt.

Quadringenti enim anni et triginta exacti illic anni eorum sunt, sed non omnes centenos et quot excurrunt annos uixerunt, sicut Moyses aut Iesus Naue, ut quartae generationis tempus conueniat.

Unde mysticum aliquid magis requiramus, eo quod tetras omnibus numeris apta sit et radix quaedam decimae ac fundamentum, hebdomadis quoque media.

Denique nonagesimus tertius psalmus scribitur quarta sabbati, eo quod hic numerus medius sit priorum sequentium que tres enim praecedunt eum: primus, secundus, tertius et tres sequuntur: quintus, sextus, septimus.

Qui hunc psalmum canit uelut aptis numeris uitam istius mundi transigit quasi tetragonus et stabilis atque perfectus.

In quattuor libris plenum euangelium atque perfectum est.

Quattuor animalia mystica sunt, mundi quoque istius quattuor partes, ex quibus congregati filii ecclesiae regnum Christi sacratissimum propagarunt uenientes ab oriente atque occidente, septentrione ac meridie.

Quadrupertito igitur latere sancta surrexit ecclesia.

Decas quoque ex isto numero adsurgit.

Si enim conectas ab uno usque quattuor, hoc modo decimam facies.

Conputa unum, adde illi duo: fiunt tres.

Adde tribus tres: fiunt sex. Et ad sex adde quattuor: fiunt decem. Tetras igitur decimam inplet, decas numerum omnem complectitur.

Quattuor quoque aetates sunt hominis: pueritia – adulescentia – iuuentus – maturitas. Paulatim adsurgit et fundatur sapientia.

Itaque summa prudentiae quarto aetatum ordine uenit.

Merito que etsi quis ante sub rege Aegypti fuit, maturioris tamen aetate consilii exit de potestate eius et legem sibi agnoscit sequendam.

Tunc fit ei uitae istius mare peruium. (Ambrosius Mediolanensis - De Abraham Cl. 0127, lib. : 2, cap.: 9, par.: 65, pag.: 619).